quod inania obseruent, praecepta despiciant, et ideo illis dicit: Uos quare
dicitis patri aut matri, quos lex praecepit honorari: munus quodcumque est ex
me tibi proderit? Id cum petat aliquid ad sumptum egens pater aut mater a fili
o, qui legem timens excusationem non dandi requirit, dicere solet: munus est
quod ex me tibi proderit, ut dicatam deo pecuniam pater religiosus accipe
re formidet. Sed haec traditio hominum, excusationes obtexentium a
uaritiae suae. Ceterum dei traditio est, ut prius pascas parentes. Nam si iu
xta diuinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto ma
gis fames quam morte grauior est. Quo loco insolentem dominus infrenat iactan
tiam. Multi enim ut praedicentur ab hominibus, ecclesiae conferunt quod suis auferunt,
cum misericordia domestico progredi debeat pietatis officio. Da ergo prius paren
ti, da et pauperi; da illi prius quod tibi abundat terrenum, ut ab illo accipias
spiritale quod tibi deest. Et enim qui honorat honorabitur. Uide ergo quia ille cum acci
pit tribuit, et accipit non quasi inops, sed quasi remuneraturus maiore mensura.
Da pauperi in requiem eius, ut et tu communicans de tuo inopi requiem consequa
ris. Sed ut pascendos scriptura dicit parentes, ita propter dominum relinquendo paren
tes si impediant deuotae mentis affectum. **De ceco nato. LXXVII.**

Factum est autem cum appropinquasset Iericho, quidam caecus
sedebat secus uiam. In libro secundum Matheum duo caeci in
ducuntur, hic unus; ibi egrediente Iericho, hic appropinquan
te. Sed nulla distantia. Nam cum in hoc uno typus populi gen
tilis sit, qui sacramento dominico recepit amissi luminis claritatem, nihil
interest utrum in uno medicinam an in duobus accipiat, quoniam ex Cham et Ia
pheth Noe filiis originem ducens, in duobus caecis duos generis sui prae
tendebat auctores. Quod uidetur et Lucas non omisisse, cum Zacheum subicit,
qui statura pusillus erat, hoc est nulla nobilitatis ingenitae dignitate
sublimis, exiguus meritis, sicut populus nationum, audito domini saluatoris
aduentu, quem sui non receperant, uidere cupiebat. Sed nemo Iesum faci
le uidet, nemo potest Iesum uidere constitutus in terra. Et quia non prophetas, non
alibi regnum habebat, tamquam formae gratiam naturalis, ascendit in

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 280 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/280)